

nerationum, mutationum & alterationum, immo phænomenorum pene omnium instrumenta esse agnoverit. Unde optimè jam suo tempore Plinius pronuntiavit nihil in tota rerum natura Sale & sole esse utilius. Nam quod extra & circa Geocosmum, in Atmosphæra scilicet nos ambiente, copiosus sal tum Acidus tum Alkalinus fluitet, post Boyleum, Digbæum, Balduinum aliosque, & post tot quotidiana experimenta, non necesse est quin hic demonstretur. Regnum Vegetabile maxima ejus parte constare, uti & Animale tum saporibus & sapida, tum Chymicæ resolutiones, & in animalibus innumeræ apparentiæ, tam in eorum statu naturali, quam præter naturali, testantur. In Minerali porro tanquam in proprio Domicilio omnium copiosissimè reperitur ita ut non coacervatum tantum alicubi occurrat, sed nec metallica mixta, nec terræ, nec Gemmæ, quarum figuræ determinatæ causâ unicè aliqui salibus, quibus potissimum constare illas credunt, attribuunt, nec denique iis ignobiliores Lapides cæteri carent, ad quorum generationem omnis generis salia concurrere docet Clariss. D. Langius, C. Vir. & Collega Amicissimus \* Prop-  
 terea non de nihilo est Viri admodum Docti \*\* pro Physicæ & Medicæ scientiæ augmento sollicitudo, qui non dubitavit publico monito Societates Literarias, tot aliis inventis jam celebres, ad salium figuras inquirendas, excitare: utpote rem non solum ad scientiam Naturalem promovendam & illustrandam, sed quod majoris adhuc momenti & utilitatis videtur, ad Medicamentorum tum operandi modos, tum effectus, qui potissimum ab immixtis salibus dependent, accuratius, veniâ Willisii & Hamelii sit dictum, eruendos longè necessariam.

\* Lap. Fig.  
 Hist. P. I.  
 C. 2.

Absterruit autem plerosque rei difficultas cum exactior Geometria ad invisibilia esset applicanda; hinc est quod maluere multi formas substantiales, Spirituum Plasticorum conatus, Radiationes nescio quas centrales, Actinobolismos, Liquidum pressiones, ut se à scabrosis his salium figuris extricarent, obtrudere: immo & pronuntiare ipsam Naturam crepundiis detineri, cum tam seriò  
 in

\*\* *P. Dan. Bartoli, Del Ghiaccio Sperienza 21.*

*Impresa delle piu celebri Accademie de Letterati, che hoggi di fioriscono, sarebbe l'applicar concordamente per alcun tempo l'ingegno e la mano intorno a questa sola specie di lavori, che tutta è della virtù formatrice de Sali, facendone ogni possibile varietà di sperienze rettificata, e sicure. E ne harebbe il mondo, non senza gran merito, e pari gloria dell' Autori una delle piu splendide e misteriose parti della Filosofia naturale.*